



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo, Archidiacono, & Cantori Davaliensibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

diutius litigatum, & idem auditis earum confessionibus, & inspectis publicis instrumentis, ac consiliis hinc inde exhibitis, necnon rationibus & allegationibus plenius intellectis, nobis quæ super iis inveniatur fideliter retulisset, nos habito cum fratribus nostris consilio diligenti, Ecclesiam vestram ab impetitione prædicti Romani sententialiter absolvimus, iustitia exigente, injuncto vobis ut vel pro usuris quas Iohanni Leonis præfati R. creditori solvistis, eidem R. satisfactionem congruam impendatis, vel ad repetendas easdem dicto R. contra ipsum Iohannem Leonis, quas habetis, curetis cedere actiones. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. usque incursum. Datum Signiæ x. Kal. Septemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO, ARCHIDIACONO,
& Cantori Davalensibus.

Epist. 97.
De electione
Episcopi Na-
zarcensis.
Vide lib. 15.
epist. 54.

Dilecti filij Decanus & Cantor Nazarcensis Ecclesie suis nobis litteris intimarunt quod cum olim curam ejusdem Ecclesie Sidoniensi Episcopo duxerimus committendam, idem Ecclesiam ipsam frumento, animalibus, possessionibus, & rebus aliis spoliare præsumens, & muris obstrui faciens portas ejus, eam in usum cellarij, reverentia divini cultus posthabita, redigere non expavit, præfatis Decano, Cantore, aliisque fratribus ejectis penitus ab eadem. Cumque propter hæc & alia nonnulla gravamina nostram audientiam appellassent, ipse appellationi nequam deferens eorundem, quinimmo in apostolicæ sedis injuriam & contemptum eos durius aggravans & affligens, tantæ persecutionis sævitiam exercuit in eosdem quod in præfata Ecclesia nisi unus ex præfatis Canonicis non remansit. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, præfatum Episcopum, ut ea quæ abstulit Ecclesie memoratæ restituat univèrsam, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes, Ecclesie sæpèdictæ Capitulo eligendi sibi personam idoneam canonicè in pastorem tribuatis auctoritate nostra liberam facultatem. Testes autem qui fuerint &c. usque perhibere. Quod si non omnes &c. tu frater Episcopo &c. Datum Signiæ 1 x. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno decimosexto.



EPISCOPO AMYCLENSI,
electo Kernicensi, & Priori Patracensi.

Venerabilis frater noster Archiepiscopus Patracensis pro se ac venerabilibus fratribus nostris Philippensi, Sarenensi, Theffalonicensi, Neupatrensi, Thebano, Atheniensi, & Corinthiensi Archiepiscopis, ac suffraganeis eorundem in nostra proposuit præsentia constitutus quod cum præfato Theffalonicensi Archiepiscopo & Sidoniensi & Cardicensi Episcopis nostris dedissemus litteris in mandatis ut nobilem virum Gaufridum de Villa Arduini Achaia Principem aliosque abbatium, Ecclesiarum, papatum, decimarum, & possessionum ad eorum Ecclesias pertinentium illicitos detentores per censuram ecclesiasticam ad restitutionem compellerent eorundem, dicti Principes & alij citati legitime ab eisdem in eorum noluerunt præsentia comparere. propter quod iudices ipsi excommunicationis in eos & in terram eorum interdicti sententias protulerunt, quas idem Archiepiscopus apostolico petiit munimine roborari, adiciens nihilominus conquerendo quod per dictum Principem & homines suos sede propria & castro & dimossario Patracensi, possessionibus & fructibus earum, & rebus aliis contra justitiam fuerat spoliatus, & quod tam idem Princeps quam nobilis vir Oddo de Roca Dominus Athenarum jura Ecclesiarum suarum graviter perturbantes, ea quæ donantur, venduntur, vel legantur eisdem, ab ipsis possideri pacifice non permittunt. Ex adverso autem dilecti filij W. Decanus Mothonensis, magister I. de Borbonio, & W. de Bitis Miles procuratores Principis & nobilium prædictorum ac omnium Latinorum sub illorum dominio consistentium respondentes confessi fuerunt iudices quidem antedictas sententias protulisse, sed asseruerunt quod ante tempus infra quod earum fuit suspensus effectus, cum fuerint sub conditione prolata, ab eis ex legitimis causis extitit appellatum, videlicet quia iudices ipsi dicto Principi & parti suæ suspecti merito videbantur, cum eandem haberent penitus questionem, & quia nostrarum copiam litterarum nequiverint ullatenus obtinere, licet eas cum instantia postularent, nec in eorum transcripro, quod solum fuit eis exhibitum, de compositione quæ super præmissis inter ipsos & præfatum Archiepiscopum intercesserat aliqua mentio habebatur. Vnde procuratores ipsi humiliter po-

Epist. 98.
De retractanda
sententia
interdicti.
Vide lib. 15.
epist. 75.

* Vide appendix
hujus
libri.